



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 18. Oranii Principis excusatio apud Cæsarem ob delectum in Germania habitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Hispanis copiis oppressa fuit, & eorum plures partim cæsi, partim dissipati misere perierunt. Sæcul. XVI.
A.C. 1568.

§. XVIII.

Oranii Principis excusatio apud Cæsarem ob delectum in Germania habitum.

Interea Oranius, seu Arausionensis Princeps in Germania morabatur, ubi ad opem ferendam Protestantes Principes vehementer sollicitabat, quos etiam ad ejusmodi auxilia potenter incitabat nuntius de Egmontii, & Hornii Comitum supplicio, nam id hæretici ubique non sine execratione perceperunt: insuper eosdem ad opem ferendam induxit conceptum in Albæ Ducem odium, atque hoc Oranius Princeps dextre augere curabat edito libello, cui titulus: *Adversus Albæ Ducis tyrannidem liber*, quem etiam Princeps studiose per universam Germaniam, & Belgium disseminari jussit: quapropter Protestantes Principes validas ubique conscribebant copias, cum autem id a Cæsare nonnisi ægerrime ferri præsentiret Oranius Princeps, hinc ad eundem Oratores ablegabat, qui delectus per imperium habitos necessitate excusarent, eumque tanquam supremum Austriacæ familiæ in Germania Caput orarent, quatenus Belgii, a quo Ma-
jores

Thuan. l. c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1568.

jores ejus origenem repetebant, comiseratione tangeretur: ut vero Legati Imperatorem ad clementiam permoverent, hæc exponere jubebantur: „ florentissimæ olim Provinciæ, Procerum, & ordinum prudentia pacatæ adventu Hispanorum miserabiliter divexantur, „ atque isti telo Inquisitionis, quod potius in Mauros exeri oportuisset, in „ Proceres, ac locupletes districto, nihil ad avaritiam, & crudelitatem reliquum fecerunt: ecquidem ea de re conquesti sunt sæpius apud Principem Belgæ, missis etiam e numero Procerum „ primariis viris, qui indignam tamen „ meritis suis gratiam retulerunt: quapropter miseri homines, cum viderent Hispanorum Regis aures calumniis „ præoccupatas, ac precibus suis occlusas esse, desperatione adacti, quod „ unum supererat, ad arma confugerunt, „ ea mox deposituri, dum cessante haud „ tolerandæ servitutis metu a diro crudelitatis jugo, quo sub externo dominatu oppressi gemunt, solventur: oramus itaque, quam demisse possumus, „ Cæsaream Majestatem, ut auctoritatem suam interponat, & cum Philippo „ Patruale agat, demonstratque, non „ aliam rationem pacandi Belgii videri, „ quam si præsidia externa removeantur, Inquisitionis metus tollatur, pri-

„ VI^o

„vilegia, libertates, immunitatesque
 „restituantur, ac serventur, & jure æ-
 „quali inter omnes constituto ex com-
 „muni ordinum, ac Procerum consilio,
 „ac decreto publicæ quieti prospiciatur.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1568.

§. XIX.

*Carolus Cæsaris Filius ad Hispaniæ
 Regem missus.*

Principis Arausionensis deprecationes
 non susque, deque habuit Cæsar
 miti, & prudenti ingenio Princeps,
 sed eas non solum ad Belgium,
 quod maximam partem ad imperium
 spectat, sed etiam ad ipsum imperium
 pertinere ratus, cum vereretur, ne re-
 centi adhuc belli Germanici ab Hispani-
 nis excitati memoria populus ad sedi-
 tionem commoveretur, quamprimum
 sibi cum Philippo agendum existimavit,
 ut autem majus pondus hæc rationes
 apud Patruelem haberent, & ex di-
 gnitate personæ altius in pectus ejus
 descenderent, Carolo fratri pacis appri-
 me studioso auctor extitit, ut cum aliis
 de causis privatas suas res spectantibus
 profectionem in Hispaniam adornaret,
 atque hujus negotii, quod non solum
 Belgii, sed imperii quietem tangebatur,
 curam susciperet. Carolus id libentissi-
 me fecit, eoque magis, cum prævide-
 ret, quod accenso semel in Belgio belli
 in-

Thuan. &
 Strad. l. c.